

Petrus de Vinea

*Ep. VI 30 (Ad hoc summi
dispensatione consilii...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. VI 30 (Ad hoc summi
dispensatione consilii...)*

marzo 1224

Priuilegium concessum libertatis quibusdam gentibus ad catholicae fidei unitatem reuersis.

1. Ad hoc summi dispensatione consilii principalis obtinuimus monarchiam dignitatis et Romani Imperii suscepimus diadema, ut, si et ad alia extrinseca debita sollicitudo nos prouocet, ad ea tamen, quae libertatis Ecclesiae statum et incrementum catholicae fidei promouerent, tanto specialius intendamus, quanto gratius in hoc Christo impartitur obsequium, a quo fides nostra cepit exordium, et per quem Imperialis gratiae recognoscimus unctionem. 2. Hinc est, quod per presens scriptum notum fieri uolumus uniuersis presentem paginam inspecturis, ad nostram nuper ex ueridica fidelium insinuatione notitiam peruenisse, quod quaedam gentes in Septentrionalibus partibus constitutae, uidelicet in Liuonia, Estonia, Sabaudia, Semigallia, Prutia et aliis prouinciis conuicinis, inspirante diuina gratia celeriter et Eo, qui ubi uult spirat, expulsa de cordibus eorum superstitionis caligine, cor carneum inducentes ab infidelitatis errore discedere cupiunt, et ad ueri Dei cultum et catholicae fidei unitatem accedere sunt parati, ob illius tantum id facere, sicut dicitur, differentes timorem, ne post susceptionem fidei per principes orbis libertas eorum ad seruitutis onera deducatur. 3. Cumque penitus censeamus indignum et cunctis Christi fidelibus abhorrendum, ut libertas, quae per se res fauorabilis est, priuilegium et fauorem, quae per fidem merentur, amittat, eos omnes preueniendos duximus gratia speciali. 4. Et ecce, quod uniuersos et singulos eorum ad susceptionem catholicae fidei uenientes, post susceptam fidem cum omnibus bonis eorum sub nostra et Imperii protectione et speciali

defensione suscipimus, et presentis scripti auctoritate plenam eis et heredibus eorum, intuitu susceptae fidei, concedimus et confirmamus perpetuo libertatem, necnon omnes immunitates, quibus uti consueuerunt, priusquam conuerterentur ad fidem. 5. Eximimus eos insuper a seruitute et iurisdictione regum, ducum, principum, comitum ceterorumque magnatum, presenti sancientes edicto, ut non nisi sacrosanctae matris Ecclesiae ac Romano Imperio quemadmodum alii liberi homines Imperii teneantur; 6. nullusque eos contra presentis protectionis, defensionis, concessionis, et confirmationis nostrae paginam impetere, molestare, offendere uel eorum quietem turbare presumat: quod qui presumpserit, indignationem nostram et Imperii se nouerit grauiter incursum. 7. Quare uniuersitatem uestram monendo, rogando mandamus, attentius exorantes, quatenus predictas gentes accedentes ad fidem, ob Illius reuerentiam, cuius intuitus inspiratione ducuntur et Qui eos denuo ad se uocat, benigne protegere, tueri ac fouere potenter ab incursibus malignorum, et ob reuerentiam Imperii commendatos habere uelit, ut exinde uniuersos et singulos possimus merito commendare.